

Zeitschrift: Solothurnisches Wochenblatt
Herausgeber: Franz Josef Gassmann
Band: 7 (1794)
Heft: 21

Artikel: Si uxor tua, prout literae tuae praefecerunt [...]
Autor: Staal, J.J. de
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-819706>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 03.04.2026

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

Si uxor tua, prout literae tuae praeserunt, bene contenta à nobis abiit, laetor, saltem conati sumus, omnia piorum parentum officia erga eandem exercere, quatenus horum temporum, & rerum nostrarum conditio idipsum permisit. Ad famulas quod attinet, non tam de numero (quamvis & ille sit nimius, si rem aequa lance & tuorum antecessorum oeconomiam considerare volueris), quam de instituto earundem conqueror. Scribis te habere quinque, nullaque earundem carere posse. Si in urbe degeres, concederem fortassis easdem vobis aliquo modo, si non necessarias, saltem ostentationi (quod numerosam, sed otiosam, alatis familiam) fuisse commodas. Sed in eo statu & in eo loco, ubi nunc es, mihi crede, experto crede, non multum nec laudis nec utilitatis ex hoc meretricum & assentaticum famulatu percipias. Ais, pro primo anno eas molestias sive incommoditates vobis patienter tolerandas esse, sed non cogitas, quod dimidium facti, qui bene coepit, habet, consuetudo in naturam vertitur. Si eam uxori libertatem modo praestas, ut sibi persuadeat, se aliter non posse vivere, nisi tales famulas &c. habeat, cogèris postea subinde eandem cantilenam canere, & primi illius anni non animadversus, vel certe imprudenter commissus error in omnes reliquos dimanabit annos. Nec volunt, nec possunt laborare, cum vero rei vestrae familiaris praesens conditio requirat & opus habeat, ut familia vestra in perpetua sit actione formicarum exemplo, nisi nunc cum cicadis (dum fervet aestas) cantillare, sed mox ingruente hyeme, id est, finiente praetura vel superveniente senio, fame & inedia laborare velit. Habetis per gratiam Dei unde honeste & splendide possitis vivere, si soli (quod nollem) permaneritis. Sed cum per Domini Dei benedictionem singulis propemodum annis novo haerede donamini, opera danda est, ut, quemadmodum familiola crescit, ita etiam honestis mediis crescat & census: & idipsum, quod modo inutiliter impenditur, liberalitè liberorum institutioni olim inservire possit. Quemadmodum, si paulum paulo addas, mox ingens fiet

acervus, ita vice versa, si modo hoc, modo illud, dempseris, jamjam fundus adparebit, & illud vobis accidet, quod est in proverbio. Nimirum, quod *jera in fundo parsimonia*.

Aestas non semper fuerit, componite nidos
aviculae.

Audio & condoleo, quod ad eam foeni penuriam redactus sis, ut interdum equi tui vacua praesepia lambere cogantur. Exue quaeso, exue inutilem illam Disopoeam, id est, rusticam verecundiam, qua arbitraris, te nemini quidquam denegari posse. Si quis est adeo indiscretus & imprudens, ut nulla habita talium rerum ratione isthuc divertere, aut aequo diutius subsistere vellet, non pudeat te aperte profiteri, quod recens eo veneris, nec habeas commoditatem stabulandi, reliqua in amicorum esse potestate, sed foenum propriis alendis equis, tibi non sufficere. Si, quoad vaccas, simili necessitate laboras, nescio, quid rei hoc futurum sit. Quod attinet ad horreum, curabis, ut quaernae trabes muro subducantur, ne tam facile putrescant, & subinde uovas expensas requirant. Et quod de horreo vestro nunc scribo, id omnibus tuis subditis consulere, atque adeo imperare debes, sive aedes, sive horrea aedificant, nimirum ut ubique locorum talia aedificia muris subducantur, &, quoad fieri poterit, a terra sublevantur, propterea quod non solum suppellex, sed & ipsi homines in ejusmodi depressis ac profundis domiciliis, citius putrescunt & intereunt.

Ad calcem quod attinet, si unquam alias, nunc opus haberem optima, propterea quod muros incrustare jamjam incipient, si materia non defecerit, & quod melior extiterit calx, eo diuturnior ac durabilior futura esset in rustatio.

Monui te nuper, atque etiamnum moneo, ut familiae tuae, & ipsimet uxori, strictissime imperes, ne liberis merum porrigant, id est, oleum igni addant, & ante justam aetatem ipsos perdant. Scio,

cur haec & alia supradicta, tibi toties inculcem. Prae-
stat, ut ex ipso Patre talia intelligas, sapias, &
emendes, quàm ut in Magistratus indignationem in-
cidas, & obrectatoribus malè de te loquendi mate-
riam subministres. Nunc propero ad Templum,
quamobrem vale, & pietatis simul & frugalis oeco-
nomiae curam habe. Raptim Solodoro feria sexta
ante Dominicam Jubilate, 1600.

Esto Praefectus horum & illius,

Pater tuus J. J. de Staal,

Ganten.

Jakob Büttiker, Ursen sel Sohn von Wolswyl.
Hanns Emch sel. von Lütterswyl.

Rechnungstag.

Joseph Müller, Schlosser in hier.

Rechnungstag nebst Bevoigt = und Verrufung.

Viktor Lehmann von Subingen.

Auflösung des letzten Räthsels.
Der Baum.

Räthsels.

Ich pflege fern und nah,
In Rom und Persien,
Von einem Wörtlein, ja!
Von dem bekanntesten,
Der Antipod' zu seyn.
Nun, Leser! kennt ihr mich?
Ihr saget: Ja! Doch ich —
Ich sage fecklich: Nein.